



Nr. 24.

40

RECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**IO. GEORGIVS  
IOCHIVS**

THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, SENATVS ECCLESIASTICI  
REGIO - ELECTORALIS ADSESSOR, TEMPLI OO. SS.  
PRAEPOSITVS, SVIQVE IAM ORDINIS DECANVS

*CIVIBVS ACADEMICIS*  
SALVTEM PLVRIMAM DICIT  
EOSDEMQUE AD DEVOTAM  
**CVM CHRISTO ΣΥΝΕΓΕΡΣΙΝ**  
DECENTER INVITAT.

---

*VITEMBERGAE*  
LITTERIS EICHSFELDIANIS.

*ap.*





Dmiranda catastrophe est, & ad cuius meditationem animus obstupescit, quam sanctissimus Seruator intra hoc triduum, in cuius termino consistimus, subire uoluit. Recolimus animo, quae tertio abhinc die cum θεαυθεωπω gesta sint: Cum comprehensus, ab iniusto iudice alio ad alium raptatus, accusatus, damnatus & in cruem, medius inter duos latrones, suffixus, inter preces & lacrymas animam exhalaret. Tota naturae compages horrebat spectaculum tam funestum, sol obscurabatur, terra contremiscebatur, petrae dissiliebant, sepulchra recludebantur, templi uelum scindebatur, in ipsorum hominum pectoribus mira rerum commutatio exoriebatur, quibusdam sensu diuini consilii percussis, & ad poenitentiam adactis, quibusdam uero, iustissimo Dei iudicio, in coecitate sua relicitis, & ad maiorem impietatis gradum, propria malitia, confirmatis. Ita dum discipuli lugent, & fideles, qui uiuum Seruatorem secuti erant, dubii haerent, illucescente Paschatos die, angelo praenuncio, laetissima uox percrebrescit, perrupisse Christum mortis vincula, iram diuinam expiatam, legi satisfactum, aeternam iustitiam acquisitam, & tanti triumphi, quo neque coelum neque terra maiorem uidit, neque uidebit unquam, fructum ad solos & uniuersos homines pertinere. At quomodo huius fructus participes fieri debeamus, ostendit Paulus, exemplo Colosensium, dum ipsos allocutus, ait: Συνταφέντες αὐτῷ εἰ τῷ βαπτισματι, εἰ δὲ καὶ συνηρθέντες διὰ τῆς πίσεως, τῆς ἐνεγκίας τῇ θεᾳ, τῷ ἐγέραντος αὐτὸν εἰ τὸν νεκρόν. COL. 11,12. Quae dum meditatur FLACIUS Glossa Compend. inquit: Regenerationem confert Apostolus cum sepultura & resurrectione Christi, non solum id agens, ut ea similitudine rem de-

claret, sed etiam, ut ostendat ipsum fontem, unde nobis illud tantum bonum profuerat, nempe passionem & resurrectionem Christi, utque etiam demonstraret, id non tantum possibile esse, sed etiam uere ita nobis contingere, quandoquidem Christi posse simul & resurrectio nostri causa facta sit. Indicatur simul etiam tum effector tanti operis, Deus, tum & instrumentum aut medium, quo illud bonum apprehendimus, nempe Baptismus & fides.

Est itaque mors & resurrectio Christi, de quibus pulpita sacra hodie personant, fundamentum & scaturigo omnium bonorum, quibus uel in gratiae, uel in gloriae regno frui hominibus licet. Nempe mors, quae uniuersam Christi obedientiam, aetiam & passiuam complectitur, est illad λύτρον, quod ὑπὲρ ἡμῶν, seu pro omnibus, Christus obtulit. MATTH. XX, 28. Fuit enim haec uera & sincera obedientia, a lege requisita, qua obtemperauit usque ad mortem, mortem autem crucis. PHIL. II, 8. Postulabat lex, diuinae iustitiae in nos expressa imago, obsequium omnibus numeris absolutum; quod & omnibus internis atque externis uiribus praestaretur, omnibus diuinae uoluntatis punctis & apicibus responderet, & ne ad momentum quidem cessaret aut intermitteretur. Obsequium intensive, extensive & protensive perfectum, ut B. DANNHAVERVS loqui amat Hodos. christian. Phaenom. VI. Lit. E. Cui praestando cum nullius hominis vires sufficerent, nihil restabat, nisi, ut aeternum periret totum genus humaanum, hoc solo pacto ἵχατον ποδράντην, ultimum quadrantem, persolutum. MATTH. V, 26. Hinc Deus creaturae suae, quam habebat ex uisibilibus, optimae, misericordiam fortem intuitus, & iustitiam laesam, & misericordiam facilem in consilium adhibebat. Victoria autem misericordia, & Filio, qui pro lapsis interueniebat, unico, huic & debitum & culpam omnem imposuit. Hic ergo, factus noster praes & sponsor, tegebatur omnia legis momenta adimplere, tanquam si ipse

ipse solus omnium hominum uices gereret, omniumque officiis & partibus defungeretur. Itaque lubens promtusque: *Nē exiſtimetis*, inquit, *quod uenerim*, καταλῦσαι τὸν νόμον, εἰς ἡλθον καταλῦσαι, αὐλά πληρῶσαι; *ſoluere legem*; non ueni, ut ſoluam; ſedut impleam. MATTH. V, 17. Idem tenebatur, omnium promeritas poenas, quia omnes peccaueramus. ROM. V, 12. perpeti, tanquam si ſolus commiſſiſet, quicquid criminum unquam ſub ſole admiſſum eſt. Itaque ita fancte uiuebat, ut, cum nobis in omnibus eſſet ſimiſilis, tamēn non niſi ὁμοίωμα σαρκὸς ἀμαρτίας gereret. ROM. IIX, 3. Et eſſet reuera πεχωριſμένος ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν, ὅσιος, ἀκακος, ἀμιαντος. EBR. VII, 26. Et, cum nihil peccati admiſſiſet, neque frauſ ulla in ore iſpius reperta eſſet, ipſe tamēn omnia omnium criminā lueret, quaſi ſolus omnia ſupplicia meruiſſet, & ſolus iuſtitiam diuinam uiolafet. Quae omnia dum lubentifimo praefat animo, ſoluendum mihi, ait, *quod non rapui*. P.S. LXIX, 5. Quippe ἡρείτονος διαδήμης ἔγγυος γενόμενος, melioris testamenti ſponsor factus EBR. VII, 22. illud proprio ſanguine & morte obſignare tenebatur, alioqui uim & ualorem non habiturum. EBR. IX, 17. Atque haec testamenti huius obſignatio & conſirmatio, in textu noſtro per mortem & ἵνταφιαſmuſ Christi indigitatur. Quae omnia cum ſint ex uoluntate Dei, & liberrima Patris aeterni acceſtatione, facta, quippe eius iuſtitiae pleniffime ſatisfacentia, & debita noſtra ex aſſe exhaustientia, non poſſunt, quin in iudicio diuino fundamentum locent noſtræ expiationis, & ſempiternæ felicitatis. Praefertim cum effector & autor tantorum bonorum, ut fidem plenam ſatisfactionis faceret, triumphanti ſimiſilis, ex morte euafifet. Sic Christus, propter peccata noſtra traditus, & propter iuſtitiam noſtram reuicitatus eſt. ROM. IV, 25.

Strato ſic fundamento, neceſſe eſt, nos ſuperaedificari: Non ſufficit, Christum mortu-

um & sepultum esse; sed oportet, & nos συναποθνήσκει  
ν, συναφίζεται, commori & consepeliri. Exemplo Co-  
lōssenium, quos Apostolus συναφέτας τῷ Χριστῷ, una  
cum Christo sepultos, appellat, eo ipso & una mortuos,  
insinuans. At quomodo id fieri potest, ut cum Chri-  
sto moriamur & sepeliamur, cum ipse ante tot secula  
& mortuus & sepultus sit? Respondet VATABLVS:  
*Cum baptizari fuimus, significauimus, nos per mortem Chri-  
sti esse a peccato liberatos, & nouam uitam esse ineundam cum  
eo, qui resurrexit.* Sed nuda illa significatio nondum o-  
stendit rationem, qua mortis alienae & liberationis a  
peccato reddamur participes. Neque commonefa-  
ctio de noua ineunda uita nobis solatium ex morte &  
sepultura Christi assert: Nam ad emendandam uitam  
uel per naturam stimulamur, quae tamen & horrorem  
Dei iniicit, cum haec tenus opem, qua postulata prac-  
temus, non uideamus. Propius ad rem faciunt, quae  
B. CALOVIVS h. l. suppeditat: *Morimur cum Christo, in-  
quit ille, quatenus mortis Christi, quatenus ea est satisfac-  
toria, & pacificatoria, & reconciliatoria, COL. I, 14. 15. con-  
sortes euadimus.* Nam si unus pro omnibus mortuus est, o-  
mnes mortui sunt, certe in iudicio diuino omnes mor-  
tui esse censentur, & ideo mortuus est pro omnibus, ut qui  
uiuant, non sibi ipsi uiuant, sed illi, qui pro ipsis mortuus  
& resuscitatus est, 2. COR. V, 14. 15. Id quod paulo post  
plenius & dilucidius explanatur, hoc modo: *Hoc pri-  
or applicatio, nempe concernens peccata nostra, pro quibus  
solutio, uel satisfactio, morte Christi, quorum dñeūtis EBR.  
IX, 15. & absconsio a facie Dei, sepultura Christi facta est, quan-  
tum ad meritum.* Cum autem morimur cum Christo per fi-  
dem, & cum sepelinur cum eodem per fidem, hoc est, solutio-  
nem & dñeūtis illam nostram facimus, nobisque applicamus,  
rum reuera, quod actum ipsum, uel quantum ad efficaci-  
am & effectum, reddimur eius participes, quod in baptismō  
nostro fieri, docet Apostolus. Huc usque B. CALOVIVS. Cum  
autem Apostolus dicit, fideles esse συναφέτας τῷ Χριστῷ  
εν τῷ

*ἐν τῷ βαπτισμῷ, cum Christo sepultos in baptismo, quae phrasis etiam RQM. VI, 4. occurrit, alienum & supervacaneum est, cum VORSTIO existimare, intelligendum h. l. esse baptismum non externum, seorsim acceptum, sed illum internum: Quorsum enim opus est, duplicem fingere baptismum, cum Scriptura eum ignoret, & ratio frustra in mysteriis fingat. Illud autem non abs re est, quod DAVENANTIVS monet: Corpus peccati sepeliri, quando eius uis eneruetur, & quasi cadauer, terra obruaritur, ne possit amplius mouere, & quoquo uelit, hominem impellere. Haec ille. Nos addimus: Fieri illud & credendo, quando merito Christi, quod fide nostrum facimus, peccata nostra teguntur, PS. XXXII, 1. ROM. IV, 7. Et nouitatem uitiae exercendo, cum per quotidianam contritionem & poenitentiam, ut B. LVTHERVUS loquitur, uetus Adam in nobis suffocatur & extinguitur.*

Vt uero hoc pacto mortis Christi & sepulturae participes reddimur, ita pariter oportet resurrectionem eius nostram facere. Quod ipsum quoque Colossenum exemplo docemur, qui praedicantur, tanquam ἡ συνεγέρθετε, cum ipso quoque una resuscitari. Quod h. l. PAGNINVS, BEZA, PISCATOR, GROTIUS & VATABLVS existimant, perinde esse, utrum illud *ἐν ᾧ*, quod adductis uerbis praemittitur, reddamus *cum quo*, aut *per quem*, aut *in quo*, id merito mittimus, redentes simpli-citer, *in quo*, scil. baptismate: Neque enim, quod VORSTIO persuasum fuit, nihil refert, ad baptismum, an ad Christum hoc relatiuo respici putemus, cum diserte dicantur Colossentes *ἐν τῷ βαπτισμῷ συνταφέτες, ἐν αὐτῷ* & *συνεγέρθετε*, utrobiique ad baptismum intento digo. Quod & analogia facile euincit: Nam ut baptismus immersione & emersione, in calidioribus praecipue regionibus, fiebat; ita pariter hic loci sepulturae & resurrectionis sit mentio; quarum illa immersioni, haec emersioni responderet. Cum priorem illam solide explicasset & applicasset B. CALOVIVS Bibl. Illustr. in h. l.

in h. l. nunc etiam de posteriori sic loquitur: Altera applicatio concernit iustitiam nostram, ob quam Christus dicitur resuscitatus. ROM. IV. 25. Quia per resuscitationem a mortuis, & iustificationem reduxit nobis, aeternam iustitiam ac salutem, cuius in baptismo iidem reddimur particeps: Siquidem ut cum Christo resuscitati sumus, quantum ad meritum, quod in Christo, proper peccata nostra tradito, & iustitiam nostram resuscitato, habemus, eaque ratione iustificati etiam cum ipso dicimus, quia vita nobis acquista est. EPH. II, 5. HOS. VI, 2. Ita quantum ad efficaciam, consequimur iustitiam ac uitam & salutem, ceu fructum mortis & resurrectionis Christi per fidem, adeoque ita conresuscitati & iustificati cum ipso dicimus. Id quod contingit in baptismo, in quo Christum cum meritis & iustitia eius induimus, ac ueste iustitiae & salutis ab ipso amicimur. Conf. GAL. IV, 27. E.S. LXI, 10. ac iusti & haeredes uitae aeternae reddimur. TIT. III, 7. Vnde baptismus nos salvare dicitur. I. PETR. III, 21. Habet ergo B. uir respectum ad iustificationem & salutem; non uero simul ad renouationem; sicut paulo post mentem suam interpretatur: Non intelligitur b. l. resurrectio ex uitiis, eorumque morte, quae fit in renouatione; sed conresurrectio cum Christo, qui certe ex uitiis resuscitatus non est. At laxiori tamen sensu accipiunt LVCAS OSIANDER, ALGIDIUS HVNNIVS, aliquique, de noua etiam & inculpata uita, ut, relictis ueteris Adami exuviis, posthac Deo seruiamus, & iustitiae uiuamus. Quo consilio Paulus quoque Baptismum dicit *lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus* S. TIT. III, 5. Quae ergo sententiae conciliari facile possunt, cum neque ille, neque hic loquantur exclusive, & hic actus Dei gratiosi simul & eodem tempore fiant. Hoc tantum discriben hic notandum est, cum fideles cum Christo συνεγένεται, aut resuscitati praedicantur; quod illud aliam uim habeat in Christo, quam in renatis. Christus enim non tantum resuscitatus est per gloriosam potentiam Patris, ROM. VI, 4. sed & propria uirute resurrexit, nimirum, quae per unionis gratiam eius huma-

humanitati propria erat, quaque potestatem habebat & ponendi, & sumendi uitam. IOH. X, 18. Homines autem ad salutarem hanc resurrectionem de suo addere nihil possunt; sed tantum virtute meriti & resurrectionis Christi per Deum Spiritum Sanctum resuscitantur ex morte incredulitatis & peccatorum.

Non tamen absque medio Deus operatur hanc consepulchri & conresurrectionem in suis fidelibus; sed, ut Colossensium exemplo patet, utitur Baptismo, tanquam *lauacrum aquae in uerbo*. EPH. V, 26. Ita uisum est Deo, itaque expediebat, ut, cum Christus peccata nostra in sepulchrum intulisset, & iustitiam & uitam nobis inde retulisset, tanta bona nobis applicarentur per Sacramentum Baptismi. Hinc Baptismus nequamquam est inane aliquod signum rerum longissime absentium, uel iam occulte peractarum, sed efficacissimum medium, quo beneficia mortis & resurrectionis Christi nobis donantur & applicantur. Hinc cum λατέρων ταλιγγενεστας και ανακαρόστεως πνεύματος αγίας audit TIT. III, 5. cognoscimus, quod misericordissimus Deus per illud nobis Spiritum suum largiatur, qui nouis & spiritualibus uiribus instruat, quibus ad Christum tendentes, ipsum cum uniuerso eius merito prehendamus & nobis applicemus. Vbi autem Christus donatur, ibi & iustitia & remissio peccatorum conferatur. Sicut Petrus ait: *Baptizetur unusquisque uestrum eiς ἀ̄θεσιν ἀμαρτιῶν, in remissionem peccatorum*. ACT. II, 38. Remissionem peccatorum sequitur unio cum Christo & societas arctissima: Nam quicunque in Christum baptizatus est, Christum induit. GAL. III, 27. Hanc tranquillitas conscientiae excipit, ut, sicut Christus resurrexit ad gloriam eam, ubi nullis hominum peccatis inquietatur amplius, ita, qui in Baptismo Christum induerunt, a peccatorum mortibus liberati, pacato animo Deo seruant; & peccato superiores facti, in noua sanctaque uita incedant. Inde est, quod ATHANAS. Tom. II. p. 226.

B

Bapti-

Baptismum τελείωσιν, perfectionem, uocauit. Μή εἰσι τέλειοι χριστιανοὶ οἱ πατηχόμενοι, τῷν δὲ βαπτισθέσιν. βαπτισθέσιν δὲ τελειώτας: *Qui in rudimentis pietatis instruuntur, Christiani non sunt perfecti, antequam baptizentur, perficiuntur autem baptizati.* Quae omnia gratiae bona ubi sunt, ibi consequitur & uita gloriae. Neque aliunde baptismus hanc habet virtutem, ut tantum mortis & resurrectionis Christi fructum nobis conferat, quam ex uerbo Euangeli, quo cum copulatus est baptismus, tanquam cum uirtute aut *potentia Dei ad gloriam.* ROM. 1, 16. Ita paterne Deus hominum generi prospexit, ut, cum tota nostra salus in merito mortis & resurrectionis Christi uertatur, non adultis modo, sed & tenellis ordinari media, per quae parta ipsis bona applicentur. *Non enim uult ullos perire, sed omnes ad ueritatis agnitionem peruenire.* I. T. M.

H, 4.

Postquam autem Deus in uerbo & Sacramentis quasi manum suam erga nos extendit, & diuitias gratiae suae, merito mortis & resurrectionis Christi acquisitas, obtulit, quid restat, nisi ut nos prehendamus, & aliena iustitia inopiam nostram leuemus. Tunc itaque fide opus est, qua mortem & resurrectionem Christi preensemus & nobis applicemus. Fecerunt illud Colossenses, συνταθέντες καὶ συνεγερθέντες διὰ τῆς πίστεως, conspulti & una resuscitati per fidem. Fide scilicet cognoscimus, nostra peccata cum Christo sepulta, nobis item, prodeunte rediuiuo ex mortuis Redemptore, paratam iustitiam, innocentiam & sanctitatem, qua sola uestiti, in conspectu Dei consistere queamus. Eadem fides, missa omni haesitatione, pronuntiat, Christum propter nostra peccata mortuum, & propter nostram iustitiam resurrexisse: *Mortuum semel esse, idque peccato, uiuere autem Deo.* ROM. VI, 10. Fides denique omnia illa, quae Christus uel passus est, uel egit, nobis propria facit, & in salutem nostram uertit, prout in nostram omnia salutem sunt exantlata. *Fides quid aliud est,* inquit B. CALOVIVS  
quam

quam applicatio beneficiorum, morte, sepulchra, uiuificatione  
& resuscitatione Christi nobis acquisitorum? Cumque per  
fidem donetur Spiritus S. regeniti pugnant contra  
peccata & ueterem Adamum, eumque sepeliunt &  
mortificant, eius motus & desideria supprimunt, & ala-  
crius subinde sese erigunt, ut in uiis domini ambu-  
lent & uocationis munia perficiant. Sicut Christus  
resuscitatus, in gloriae regno, nullis interpellatus mi-  
seriis, uiuit & regnat in aeternum.

Neque tamen quicquam inuenit, quod sibi tribu-  
at aut uiribus suis arroget homo: Non enim est nostri  
arbitrii credere, sed diuinae misericordiae. τότο ἐστι τὸ  
ἔγγονον τῆς θεοῦ, ἵνα πιστεύσῃς, *Hoc est opus Dei, ut credatis*, IOH.  
vi, 29. Scite Apostolus Colossemium fidem uocat ἴνερ-  
γειαν τῆς θεοῦ, operationem Dei. Quae uerba quidem varie  
accipiuntur a uariis. *Fides operationis Dei*, ait FLACIVS  
Glossa Compend. potest exponi uel actiue, fides in operatio-  
nem Dei; uel passiue, quae nobis ex operatione donoque Dei  
contingit; sed commodissimus sensus est, quem uertimus, per fi-  
dem Dei, efficaciter operantis uel agenit. Cuius mens huic  
redit, fidem significare h. l. uel actiua quandam & di-  
uinitus donatam uim, qua operationem Dei apprehe-  
damus; uel *donum* ipsum Dei, in quo recipiendo homo  
se habeat *possit*; quanquam commodissimus uideatur  
sensus, si accipiatur de *fidelitate* Dei, potentissime ope-  
rantis cum resurrectionem Christi, tum nostram con-  
resurrectionem. Alii aliter exponunt: Nobis placet,  
accipere de fide nostra salutifera, aut iustifica, quae non  
aliunde nobis obtingit, nisi ex operatione Dei. Luben-  
tes sequimur B. CALOVIVM, qui hoc modo: Fides o-  
perationis Dei dicitur non *objiectiue*, quasi feratur in uir-  
tutem Dei, quae resuscitat mortuos; neque de *potentia*  
*Dei credendo*, ut CHRYSSOTOMVS & THEOPHYLACTVS  
autumant, sed de *ratiōne consequendi* salutem, neque tam  
*potentiam* Dei, quam *gratiā* in promissionib. euange-  
licis factam, fidem respicere, GROTIUS hic ipse susti-  
nuit.

nuit. Et eiusdem uirtutis est, fidem in nobis operari, cuius erat, resuscitare Christum a mortuis. EPH. i, 19. Haec ille. Quo sensu accepta fides, in dolem sumam pro ratione originis exserit, cumque ipsa ἐξ ἐνεγέρτεις, seu operatione Dei, ortum ducat, ipsa quoque operatur, & modo Christum passum & resuscitatum intuetur & amplectitur; quo pacto ἐπαγέλλεται τὸν Βραχίονα τὸν πενθόταν εἰς τὸν αἰώνιον, IOH. vi, 27. Modo proximum intuetur, eumque uariis officiis & beneficiis demereri studet. Quae duo tamen fidei officia neutri- quam ita confundenda sunt, ut inter se permisceantur, & alterum in alterum commutetur. Sed manet hoc primarium fidei munus, ut Christum intueatur, eiusque meritum sibi appropriet, eoque in laetissimam salutis spem exsurgat. Neque tamen potest, quin simul Christum impense diligit, & Patrem colat, qui proprium pro nobis filium tradidit, insimulque proximo inferuiat, quem pari secum gradu a Deo diliguit. Haec fides sibi ex morte & resurrectione Christi uitiae succum sumit, eademque, dum pietatis opera elicit, uitiorum morbis repugnat.

Denique cum de spirituali resurrectione Colossen- sium additur, eam esse opus τῆς ἐγέρσας χριστὸν εἰς νεκρούς, eius, qui excitauit Christum ex mortuis; eo ipso & corporalem illam Christi resurrectionem ex mortuis, & spiritualem nostri uiuificationem, beneficiae Dei operationi transscribit. Sicut enim dixerat, nos in Baptismo resuscitatos per fidem, quam Deus in nobis operatur; ita nunc affuerat, eundem Deum esse, qui & Christum ex mortuis resuscitauit, ait b. l. B. AEGID. HYNNIUS. Sic omnia ad Deum redeunt, tanquam fontem unicum & scaturiginem felicitatis nostrae. Ille dedit Filium, in assumtam carnem, legique nostri causa subiecit GAL. iv, 4. Ille Spiritu & uirtute unxit, ut cum praecoio, tum re benefaceret mortalium generi. ACT. x, 38. Ille in manus hostium tradi permisit, ut, uictima pro nostris delictis, nos expia-

expiaret. Ille uerbum reuelauit, ut per illud de salu-  
tari consilio erudiamur. Ille Spiritum S. largi-  
tur, ut eius uirtute regeniti credamus, & iusti-  
tia Christi ornemur. Ille iustos nos renunciat,  
carnis reliquias domat, & uirtutem impertit, ut uetus  
Adam in nobis per quotidiana contritionem & poe-  
nitentiam submergatur & moriatur, & quotidie emer-  
gat nouus homo, qui in iustitia & puritate coram Deo  
uiuat in aeternum.

Felices ergo, qui moriuntur cum Christo, & cum  
ipso resurgunt spiritualiter: Moriuntur enim pecca-  
to, & peccatum in ipsis moritur: Non quidem eo sen-  
su, quasi prorsus expertes sint omnis peccati, aut eo  
non amplius tententur. Quin potius, quo magis ipsi  
annuntuntur fide, quae est operatio Dei, uiuere, quo  
studiosius illi se ad legis normam exigunt & excutiunt,  
eo magis peccatum in ipsis *avæcā*, reuiuiscit, R O M .  
vii, 9. hoc est, persentisicitur, ipsisque gemere & su-  
spirare cogit: *Miser ego homo, quis me liberabit a corpore  
huius mortis?* l. c. u. 24. Sed moriuntur, & mortui sunt  
fideles peccato, dum non amplius mouentur, ut eo  
delectentur, idque uoluntario perficiant, aut ea pro-  
pter contremiscant & animum despondeant. Chri-  
stus enim peccatum sepeliuit, illud exarmauit, & fide-  
libus pacem peperit, ut, cum Christo resuscitati, ex-  
ultent: *Gratias ago Deo per Dominum nostrum Iesum Chri-  
stum.* Animo inferuio legi Dei, carne autem legi peccati.  
Nihil ergo damnationis est ergo eos, qui in Christo Iesu sunt.  
R O M . viii, 25. iix, 1. Mortuum est peccatum in ipsis,  
quatenus non amplius accusat ipsis, uel terret, uel  
damnat, cum in Christo damnatum sit & punitum.  
R O M . iix, 3. Et fideles sunt iusti in Christo, qui ipsis  
est a Deo factus iustitia & redemptio. I. C O R . i, 30. Neque  
mancipare aut in seruitutem redigere ipsis potest;  
dum ipsis carnem crucifigunt, cum desideriis eius &

concupiscentijs. GAL. V, 25. Spiritu autem libero & spontaneo ducti, delectantur lege Dei, & quantum ualent, sancte uitam agunt. Haec est felix illa sors resurrectionis primae, de qua Iohannes APOC. XX, 6. Felix est & sanctus, qui pariceps est resurrectionis primae, in eum enim mors secunda potestatem non exercebit ullam. Et Venerabilis Beda: *Qui in hac prima resurgit, resurgit in secunda ad gloriam. Qui uero in hac prima non resurgit; in secunda ramen resurgent, sed ad poenam.* Nec non Augustinus L. XX. de Civ. Dei, primam uocat resurrectionem animarum, quae uenire non permittit in mortem secundam, de qua APOC. XX, 6. Secundam uero, quae in seculi fine futura, non animarum, sed corporum est, quae per ultimum iudicium alios mittet in mortem secundam, alios ad eam uitam, quae non habet mortem.

Edocemur iisdem, eadem, quae hic gerimus, corpora olim esse resurrectura, & uanam esse persuasio nem, qua tenentur Sociniani, quod corpora nostra in altero seculo, ratione substantiae spectata, futura sint spiritualia. Nam nedicamus, hanc opinionem absurdam esse, eo quod ponit & infert homines, qui in gloria sint futuritoti spiritus, & quidem compositi ex duobus spiritibus, quorum alter corporis, & partis perficiendae animandaeque, alter animae & partis perfici entis & animantis, rationem habitur. Videntur hic exemplum, quod omni dubio superius, & nobis fundamenti instar constitutum est, Christum scilicet, qui fuit ἐγερθεὶς, refuscitus, eodem corpore, quod antea tot iniuriis & contumeliis excarnificatum, ceciderat; nunc autem, in signum ueritatis retento uulnerum uestigio, coelesti gloria coruscat: Quod intuebuntur olim impii, ut cognoscant, in quem pupugerint. ZACH. IX, 12. IOH. XIX, 36. Praeterea experimur in nobismet ipsis, nos, iisdem corporibus, quibus constamus, σωτηρίᾳ ἐσταὶ καὶ συνεγένεσαι τῷ Χριστῷ, una sepeliri & resurgere cum Christo spiritualiter. Quod si autem Deus nostra haec corpora, quae de terra sumta sunt, dignatur primitius Sp titus

ritus sui, quidni eadem olim dignaturus sit gloria coelesti, ut una cum animabus plenam Spiritus messem meant?


Discimus quoque, initium status iustificationis, unionis mysticae & renouationis nostrae esse idem, quod regenerationis, seu resurrectionis spiritualis. Quando enim haec bona eveniebant Colossensibus, nisi in baptismo? In eo & συνταφιασμῷ & συνεγέρσεω participes reddebantur, idque per fidem, quae est operationis Dei. At fides in Christum nobis praestat omnia, &, ut uere regeniti simus, & ut compareamus iusti coram tribunali Dei, & ut cum Deo uniamur, & ut contendamus contra peccata, atque nouitati uitae studeamus. Haec omnia cum una eademque fides praestet, sequitur, quo momento uera fides existit, eodem haec omnia Dei beneficia adesse. Est praeterea baptismus lauacrum, non modo regenerationis, sed & renouationis Spiritus S. TIT. III. 5. Renouatio autem, naturae ordine est posterior iustificatione & unione mystica. Ut intelligamus, quae naturae & conceptus nostri ratione, aliis sunt priora uel posteriora, eadem tempore esse omnino simul, neque gratiam Dei patimoram.

Agnoscimus denique delirum esse somnium, cum Fanaticus homo, IACOB BOEHMIVS, &, qui eius tibias inflat, VALENTINVS WEIGELIVS; ille quidem de Testament. Christi L. I. c. 2. p. 15. Hic autem Postill. P. III. p. 15. 16. prohibet, resurrectionem Christi esse nihil aliud, quam reerectionem interni luminis in extincta coelesti hominis parte. Praeterquam enim, quod uerba de se portentosa sunt, &, incertum quid, monstri alunt, audiuiimus iam, quod resurrectio Christi sit reerectione eius corporis iam antea per mortem lapsi & sepulti; quod, post redditam, quae morte secesserat, animam, uiuum ex sepulchro prodiit. In qua actione Christus propria diuinaque uirtute egit, & templi, per hostes subuersi, ipse reector fuit. IOH. II. 19. Ne uero quis fingat eiusmodi

Chri-

Christum in nobis, cuius resuscitatio sit reerectio huius-  
modi lucis internae, in anima antea extinctae; Scriptu-  
ra eum prorsus ignorat, & ratio ipsa detestatur. Id uero  
scimus, Christum θεόν θρων, quem unicum agnoscim-  
us, ratione Deitatis esse in omnibus creaturis; ratio-  
ne humanae naturae, ui unionis personalis, pariter o-  
mnibus intime adesse rebus, & πάντα φέρει τὸν ιησούατον τὴν  
δυνάμεων ἀντή. EBR. 1,3. Eum uero ne quis existimet ho-  
die, uel in nobis, uel extra nos, mori, sepeliri & resurge-  
re, prohibet eius exaltatio glorioſa, quae huiusmodi  
παθήσαται exinanitionis prorsus respuit. Hoc autem  
exemplo Colossenſium didicimus, nos cum ipso mori,  
sepeliri & resurgere debere per fidem, quae est operatio  
Dei.

Vos itaque, O CIVES OPTIMI, cohortamur & ob-  
testamur, ut recordemini, quanta uobis gratia, cum uix  
dum nati essetis, obrigerit? Quod tum per baptismum sitis  
conseptulti & conresuscitati cum Christo, inspirata uobis  
per diuinam operationem fide; ut per uniuersam uitam,  
recordati mortis & resurrectionis Christi, ne patiamini  
peccatum dominari in mortalibus uestris corporibus, sed  
summa ope enitamini, ut Spiritu S. duce, in nouitate uitae  
ambuletis. Huius officii uestri praecipue per haec sacra pu-  
blica, quibus, obuersante adhuc animo tristissima Serua-  
toris morte, resurrectionem Christi exultantes recolimus,  
admonemini. Quare certatim id agite, ut mortificato  
uetere homine, alacriter, & sumtis ex Deo nouis uiribus,  
cum Christo resurgatis & uiuatis in sanctitate & iustitia,  
quae Deo placent. Memores insuper, huius salutaris of-  
ficii uestri Mystagogos esse Verbi diuini Ministros, ne pi-  
gramini, nostro exemplo, ad aram frequentes ac-  
cedere, & munuscula lubenti animo con-  
ferre. P. P. Fer. I. Paschatos  
Anno MDCC XXXI.



Ja 1586

ULB Halle  
001 508 687

3




St

VDN8

VDN7





## Farbkarthe #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

RECT  
ACADEMIAE VITE  
**IO. GEO  
IOCH**

THEOLOGIAE DOCTOR  
PVBLICVS ORDINARIVS, SEN  
REGIO - ELECTORALIS ADSES  
PRAEPOSITVS, SVIQVE IAM

**CIVIBVS AC**

SALVTEM PLVRI  
EOSDEMQUE AD

**CVM CHRISTO**

DECENTER IN

VITEMBEI

LITTERIS EICHSF